

**Dissertatione solemni medica gravidarum affectus a plethora, foetus, et secundinarum mole oriundos / ... exponet ... Emanuel Johannes Rothardt.**

### **Contributors**

Rothardt, Emmanuel Johann, -1778.  
Coschwitz, Georg Daniel.  
Universität Halle-Wittenberg.

### **Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hilligeri, [1728]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a4qve8xz>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIONE SOLEMNI MEDICA  
**RAVIDARUM AFFECTUS**  
**PLETHORA, FOETUS, ET SE-**  
**CUNDINARUM MOLE**  
**ORIUNDOS**

ADSPIRANTE SUMMO NUMINE  
 CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

P R Æ S I D E

N. **GEORGIO DANIELI**  
**COSCHWITZ,**

D. DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRI-  
 CIANA PROFESS. PUBL. ORDIN. POTENTISS. BORUSS REGIS II.  
 MITATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHY-  
 SICO MERITISSIMO ACAD. CÆSAR. LEOPOLD. NAT.

CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO,

RONO, AC PROMOTORE SINGULARI OBSERVANTIÆ CUL-

TU DEVENERANDO

**PRO DOCTORIS GRADU**  
 UMMISQUE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN AR-  
 TE MEDICA MORE MAJORUM SOLENNI  
 OBTINENDIS.

D. *Junii Anno MDCCXXVIII.*

PUBLICO ET PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI  
 HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

EXPONET

AUCTOR ET RESPONDENS  
 EMANUEL IOHANNES ROTHARDT,

BERNBURG. ANHALTINUS.

HALAE MAGDEBURGICAE.

ANTONIO RODRIGUEZ  
ESTEVEZ MURATIVA  
MURATIVI  
ESTEVEZ RODRIGUEZ  
RODRIGUEZ ESTEVEZ  
ESTEVEZ RODRIGUEZ  
RODRIGUEZ ESTEVEZ

RENISSIMO AC CELSISSIMO ANTI  
QUISSIMÆ DOMUS PRINCIPI,  
DOMINO  
DOMINO  
VICTORI  
FRIDERICO  
D. G. PRINCIPI  
ANHALTINO REGENTI.  
DUCI  
XONIÆ, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ,  
COMITI ASCANIÆ:

DOMINO  
BERNBURGI, AC SERVESTA  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
BORUSSICÆ

ORDINIS AQUILÆ NIGRÆ  
EQUITI &c. &c.

DOMINO SUO  
CLEMENTISSIMO,  
HANCCE DISSERTATIONEM  
MENTE AC MANU HUMILLIMA DEVOVET  
ET CONSECRAT

OBSEQUENTISSIMUS

E. J. ROTHARDT, Auct



§. I.



Ulier gravida dicitur illa,  
quæ post concubitum fœcun-  
dum concepit & inde partum  
gerit.

§. II.

Conceptus naturalis autem  
est ovuli, ab ovariis separati, &  
motu lacertorum musculosorum Tubarum Fallo-  
pianarum in uterum propulsi, a semine masculino  
fœcundo imprægnatio.

§. III.

Ovula nomen habent ob analogiam ovarum  
animalium, & sunt vesiculæ rotundæ magnitudine  
& numero pro ætatis, temperamenti, coitus passi  
diversitate, diversæ, humore lymphatico ad ignem  
albuminis ovarum instar concrecente, repletæ, bi-  
nisque membranulis concentricibus tibi invicem ar-  
etissime nexas, constantes, in superficie ovariorum  
sub membrana cingente, contentæ. *Vid. Schwam-  
merdam de miraculo naturæ Tab. 2. & 3. Regn. de Graaff.*



5  
Tab. 26. Ruyschii Adversaria Tab. I, Fig. 2. & ejus Thesaurus 6. Tab. I.

#### §. IV.

Semen masculinum est humor albus, calidus, spirituosus, crassus, viscidus, subsalsus, ex sanguine (a) per arterias spermaticas utcunque ad (b) testes delato in his, ductibus Hygmoreianis, (c) epididymidibus, & elaboratus, pauca in copia secretus, (d) per vasa deferentia seu ejaculatoria elaborator in (e) vesiculas seminales propulsus, in quibus elaboratissimus, iquido nervoso mixtus reconditur, foveatur, & ex quibus suo tempore per (f) ductus vesicularum excretorios in urethram & ex hac in uterum expellitur.

(a) Eustachius Tab. XII. Fig. I. II. (b) Regn. de Graaff Tab. I. Fig. I. Ruysch. Thes. IX. Tab. III. (c) Graaff I. c. Fig. I. II. (d) Eust. I. c. Graff. Tab. V. VI. VII. (e) Eust. & Graaff. I. c. (f) Graaff Tab. V. VI.

#### §. V.

Ovaria, seu Testes muliebres ( propter externam aliquam cum testiculis virorum similitudinem ita dicti ) sunt corpora duo ( utrinque unum ) scabra, inæqualis superficie, quodammodo globosa, albantia, pro varietate ætatis & temperamenti majora vel minora, in infima cavitate, pelvis dicta, sita, cum fundo uteri ad distantiam binorum circiter pollicum lateraliter ope ligamentorum teretium, cum Tubis Fallopianis, lateribus pelvis, & aliis partibus, ope ligamentorum latorum, vasorum spermaticorum, connexa, ex arteriis spermaticis, hypogastric-

gastricis ut & iisdem venis, vasis lymphaticis, nervis, fibris, mirum in modum inter se mixtis & intricatis, ut horum fabrica vix describi possit, constantia, & ovula in se continentia *Vid. Morgagni Advers. I. Tab. III.*

### §. VI.

(a) Tubæ Fallopianæ nomen habent a similitudine cum tuba & a primo inventore Fallopio. Sunt autem duo canales ex binis superioribus uteri foraminibus lateralibus exeuntes, in principio gracieles, recti, in progressu latiores, tortuosi capreoli modo, & terminantur lato orificio fimbriis carneis figuram floris referentibus. Connexio harum cum utero ope ligamentorum latorum est arcta, cum ovariis vero laxa: constant duplii membrana (b) vasis copiosissimis corpus cavernosum intra membranas formantibus, ut tempore coitus, influxu copioso sanguinis & spirituum, erigi, ovariis applicari, semenque prolificum transmittere, & suo tempore ovulum solutum ex ovario recipere & ad uterum deferre queant.

(a) Morg. Tab. III. Graaff Tab. XI. XII. Ruysch. Adv. Tab. I. Fig. II. (b) Heister Tab. III. Fig. X. XL

### §. VII.

Uterus est pars organica, mulieribus propria, in cavitate pelvis inter intestinum rectum & vesicam urinariam posita, ab injuriis gravioribus externis potissimum, libera, figura pyri compressa; cavitate vix fabam capiente; magnitudine proæstate, temperamento, libidinis usu, corporis proceritate,



tate, foetura, sterilitate varia, osculo arcto in virginibus vix stylum admittente, praedita; & naturale domicilium, in quo foetus formatur & ad tempus nativitatis conditur. (a) Alligatur parte sua laterali & superiore quatuor ligamentis, duobus tereribus, & totidem latis, quorum priora ad os pubis excurrunt, posteriora, ad ovaria, Tubas, & latera Pelvis expanduntur: parte autem inferiore intestino recto, & vesicæ adnectitur. Constat membranis, fibris, (b) arteriis spermaticis, hypogastricis, hæmorrhoidalibus mirifice contortis & per anastomosin inter se unitis, ut & iisdem (c) venis valvulis destitutis, nervis intercostalibus & ossis sacri & tandem vasis (d) lymphaticis.

(a) Auth. §. VI. cit. (b) Graaff Tab. XII. (c) Tab. XIII.  
(d) Morgagni Advers IV. p. m. 76.

### §. VIII.

Descriptis nunc partibus generationi inservientibus, quarum mentionem feci, sequitur ordine probatio eorum, quæ circa conceptum dicta sunt. Ubi ergo sequentia pensitanda & probanda veniunt, (1) quod ovulum §. III. descriptum (2) ex ovariis §. V. descriptis (3) semen §. IV. notatum requirantur & (4) quod, dum hæc, (coeteris paribus) bene sunt constituta, semenque ovo vel in ovario vel in tuba vel in utero occurrit, ac parte subtiliori quæ aura seminalis dicitur, probabiliter quantitate parva, per dilatatos tum poros membranulæ ovi penetrat, conceptus fiat.

### §. IX.

Primum exinde probatur, quia embryones in utero

utero reperti vel per abortum reje<sup>t</sup>i semper hærent  
in ovulo membranaceo, in quo partium situs, for-  
matio, nutritio commodissime, neutiquam vero in  
humore diffluente & exhalante fieri potest: vid: Phi-  
losophia C. H. Cel. Hoffmanni p. m. 240.

### §. X.

Secundum, quia (a) tot folliculi & cicatrices,  
quot ovula ex ovariis separata, relinquuntur: & a  
constitutione mala ovariorum a parte mulieris ori-  
tur sterilitas: sicut idem quoque (b) confirmant  
fœtus aliquando in ovariis reperti.

(a) Ruysch. Thes. VI. p. 25. Littrii & Bergeri observat. in  
hominibus: Graaffii & Limmeri experimenta in cu-  
niculis & canibus fœmellis. (b) Bohnii circul. Anat.  
p. m. 12.

### §. XI.

Tertium exinde probo, quod nulla foëmi-  
narum absque viri amplexu, s.n. imprægnari valeat,  
deinde quod testibus, aut hoc humore, deficienti-  
bus, a parte viri adsit sterilitas; ( licet enim expe-  
rientialia testetur, quod equi & tauri aliquando testi-  
bus exfectis, equas & vaccas imprægnaverint, hoc  
tamen a semine retento in vesiculis seminalibus, &  
a testibus antea jam elaborato contigisse constat:) tandemque idem confirmetur experientia sequen-  
ti a Malpighio in gallinis instituto. Sumsit enim  
ova a gallina exclusa, a qua gallus per aliquot men-  
ses fuit separatus, supposuit illa gallinæ, ut incuba-  
tu ejus foverentur; examinavit unum horum incu-  
batorum ovorum post sex horas, & observavit nu-

beculam in saeculo colliquamenti crassiorem, quam antea in ovis examinatis non vero incubatis, singulis sex horis post repetiit idem examen, & videt nubeculam illam semper fieri crassiorem & majorem, in qua tamen nil distinete apparuit, & post aliquot dies vitellus fuit corruptus, albumen fœtuit, nullusque fœtus in conspectum venit.

### §. XII.

Ad quartum quod attinet, iterum sequentia sunt perpendenda & probanda; (1) quod semen transseat in uterum & ex hoc aliquando per Tubas Fallopianas ad ovaria; (2) quod ovula tam fœcunda quam infœcunda a tubis Fallopianis recipiantur & ad uterum deferantur; (3) quod, dum ovulum & semen sibi mutuo in locis §. VIII. descriptis occurruunt, conceptus fiat.

### §. XIII.

Primum probant observationes Falloppii, Regneri de Graaff. Leevvenhoeckii, Verheyni, quas confirmant Ruyschii in ejus adversariis p. m. 3. & Thesauro Sexto p. 15.

Juvenis ætate, atque vigore corporis, utpote trigesimo nondum perfunditus vitæ anno, formosa meretricis pulcherrimæ facie pellectus, eo rem deduxit denique, ut complexu venereo illius, suis ex votis frueretur. Simulac vero suam voluptatem expleverat, detestabili facinore scorti jugulum ita discidit, ut exemplo moreretur: statim nos duo Poliatri, simul cum Chirurgis, jussu Magistratus eo missi, ut cognosceremus conditionem vulneris, atque

que de ea Judicibus renunciaremus scripto. Deprehenduntur a nobis vasa sanguifera colli ita absissa, ut illico inevitabilis mors subsequuta fuerit: Cum vero scirem quæ contigerant, incidi abdomen cupidissimus videndi ea, quæ in utero atque partibus conceptui propriis forte occursura essent. Quam prudentissime ergo uterus, ovariorum ductus & annexa, cadaveri exemi: vidi os uteri clavum, lenissime digito pressum se aperire, atque seminis guttulam dimittere, statim suspicatus, quid rei futurum esset, coram nonnullis Medicinæ Doctoribus, uterus secundum longitudinem suspensa manu, ne quid turbaretur, aperui, vidimusque cavaum uteri albo, naturali atque bono semine masculino repletum, utramque etiam Tubam Fallopianam eodem semine plenam & idem vidit in muliere, a marito in adulterio deprehensa & occisa.


#### §. XIV.

Secundum probant (1) ( $\alpha$ ) ovula, fœtus, in tubis reperti & observationes Virorum clarorum (2) ( $\beta$ ) complexus ovariorum ab extremis fimbriis tubarum Fallopianarum & (3) ( $\gamma$ ) quod, tubis obstopatis, nulla amplius fiat conceptio.

( $\alpha$ ) Graaf p. 770. Limameri dissertatio de abortu monstroso dessavienſi. Experimentum Nuckii. Elſcholzii tractatus de conceptione tubaria. Coschvivizii Physiologia p. 177. ( $\beta$ ) Graaf: Bohnius circul. anatom. pag. 18. ( $\gamma$ ) Ruysch. observ. 83.

#### §. XV.

Tertium probatur, quia tale quid post coitum



tum in ovo fœcundato observatur, quale quid extra coitum in Ovo non foecundato non erat: sicuti ex sequentibus patebit. Sumsit porro Cl. Malpighius ova ex gallina, quæ marem gallum admiserat, & supposuit hæc gallinæ, ut incubatu ejus foverentur, examinavit post sex horas unum horum & observavit, sacculum colloquamenti habere in nubecula illa seu umbroso puncto aliquod punctum micans, saliens & jam vitam præbens. Post horas ab incubatu duodecim fuit hoc punctum micans rubrum & post octodecim horas vidit verum piscem, qui habuit caput, corpus carnosum, caudam, ac post horas viginti quatuor piscis ille mutatus fuit in vermem contractiorem, qui successive amisit caudam & accepit anterius duo tubera totidemque posterius, quæ in alas & pedes fuerunt expansa & sic successive verum pullum gallinaceum cum plumis & omnibus membris observavit. Conf. §. XI.

### §. XVI.

Haud absimilem mutationem in diversis embryonibus humanis observavit accuratissimus Observator & Celeberrimus Anatomicus Ruyschius, quam descripsit & delineavit in suo Thesauro Sexto. Ubi Tabula 2. figura 1. repræsentat rudimenta duorum embryonum humanorum, quorum primum est magnitudine seminis anisi, alterum vero magnitudine pediculi seu seminis lactucæ. Figura 2. embryonem magnitudine grani hordei muniti: figura 3. embryonem ejusdem fere magnitudinis, cuius caput cum corpore est adhuc confusum:

figu-

figura 4. embryonem præcedente paulo majorem, ejus caput jam a corpore distinctum, artuumque rudera nonnihil in conspectum veniunt tubercularum minimorum instar. Figura 5. embryonem digiti transversi magnitudine, cuius caput a corpore non solum distingui potest, verum etiam artuum rudimenta tubercularum majorum instar prominent. Tabul. 3. figura 1. embryonem præcedente paulo majorem, cuius artus magis sunt expansi, digitivero nondum visui apparent: fig. 3. foetum humanum tantillo majorem, in quo jam digiti videri possunt, non solum manuum, verum etiam pedum.

### §. XVII.

Signa Diagnostica conceptus & imprægnationis sunt, si semen in utero maxima ex parte remaneat: vid Ruysh. Thesaur. VI. p. 16. & Dn. Præsidis Physiologia p. 177. idquod cognoscitur, si loca muliebria post concubitum non humectari, & fœmina nihil vel parum seminis effluere senserit, tota concutiatur, & velut rigore afficiatur, aut titillationem quandam in utero, propter uteri ad semen amplectendum & retinendum contractionem, percipiat.

### §. XVIII.

Deinde juxta Aëtium os uteri clauditur & a pudendo recedit, ut vix dígito obstetricis explorari possit. Quam constrictiōnem sequitur mensium retentio eaque juxta Forestum sine molestia, quia invasis maternis non redundat sanguis, sed ad fœtum deducitur & secunduni Hippocratis aphorismum

sexagesimum sectionis quintæ: Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore neque febre superveniente cibique fastidium accidat, prægnantem esse puta. Cibos enim quosdam, quibus antea maxime deleabantur, ita aversantur, ut si vel ipsis offerantur vel videant, imo nominari tantum audiant, pene in animi deliquium incident. Contra alios cibos, potus, quos antea aversabantur, tam avide appetunt, ut, nisi eorum participes fiant, lædantur.

### §. XIX.

Tandem venter sensim in tumorem attollitur, non ut in hydrope, diffusa per totum abdomen aqua, sed tumore versus ventriculum acuminato non gravante ut in hydrope. Et circa quartum mensem aut medium gestationis tempus infans incipit se mouere secundum varias situs differentias, quod in mola non accidit. Motusque ille nec pondere molestus est, nec fluctuantis aquæ, nec flatus vagantis speciem refert, sed lenis, blandus & ordinatus existit. Ultimo mammæ intumescunt, lac in iis apparet & legitimo tempore partus editur. Vid. Hipp. Forestus, Senertus, Mauriceau.

### §. XX.

Plethorae præsentiam declarant viscera chylopœa fortia & vasa sanguifera copiosa, unde appetitus bonus, ciborum laudabilium tolerantia, optimæ horum in chylum & sanguinem conversio. Sanguis & chylus autem ob laxiorem vasorum compagem, vitam otiosam, somnum bonum & profun-

fundum, ætatem medium, animum sedatum, evacuationes solitas suppressas, haud ita attenuatur, consumitur & per perspirationem abit, sed intra vasa augeatur, ea replet, distendit, eaque transparet, unde faciei color floridus in habitioribus, venarum vero turgescens in macilenteribus, quæ augentur vel levi exercitatione, vel æstu, una cum segnitie & repentina defatigatione, quatenus vasa majora ob sanguinem rarefacientem distenduntur, nervi inde comprimuntur & spirituum in musculos influxus impeditur.


### §. XXI.

Ovulum nunc imprægnatum, atque in utero detentum, ibi ob ejus os clausum continetur, foveatur, humoribus tum temporis magna in copia secretis innat, ab his quoad tunicas, humores, embryonem continent, increvit, uterum implet, huic in loco placentulæ accrescit & tandem istum quaquaversum extendit. Quo magis autem uterus extenditur, eo magis vasa ejus ampliantur, plus humorum recipiunt, & materiam plethorae menstruæ consumunt.

### §. XXII.

Quum vero hæcce materia primis mensibus in incrementum fœtus vel matris tota converti nequeat, nec ex utero clauso ejusque vagina excernatur, oritur plethora, quæ est ea humoris boni abundantia, qua vasa viscerum imprimis inimo ventre sitorum nimis distenduntur, ut eorum contraria

stilitas



Etilitas & inde humorum circuitus, secretio ac excretio minuantur.

### §. XXIII.

Vasis autem ventriculi & intestinorum, quæ fere sunt innumerabilia, uti Anatomia & ars injectoria Ruyfchiana docet, sic distentis, deficit humorum prompta secretio, & ob nervos compressos ex parte etiam motus peristalticus, hinc ingesta debito modo macerari, dilui, attenuari, fermentari, dissolvi, & humoribus nostri corporis adaptari nequeunt, sed ibi accumulantur, stagnant & pro diversitate materiae assumtæ mutantur in materiam mucidam, glutinosam, aut acrem, unde appetitus prostratus, sensus repletionis, ructus acidi, nidorosi, flatus, nausea, ac vomitus.

### §. XXIV.

Appetitus autem est stimulus naturalis, quo impellimur ad victum quærendum, ut partim humores per secretiones & excretiones deperditi resarciantur, motus systalticus & diastalticus continentur, partim reliqui ob continuam circulationem facile acrimoniæ contrahentes, blando iterum chylo demulceantur.

### §. XXV.

Causæ vero tam appetitus, quam Digestionis ciborum variæ sunt: Quarum præcipue (coeteris paribus) sunt (1) ventriculus vacuus, exceptis paucis reliquiis a præcedentibus assumtis intra rugas relictis & tenerrima accredine præditis (2) æqualis tam sanguinis quam spirituum motus & inde dependens secretio humoris gastrici, enterici, pan-

pancreatici, quam hepatici, Salivæ, (3) motus peristalticus & certus caloris gradus. Hæcce vero hic etsi non in totum, tamen in tantum deficiunt. Ergo & appetitus deficit, sensusque repletionis ori-  
tur.

### §. XXVI.

Ructus, flatus, borborygmi oriuntur partim ab aëre ingestis contento, partim calore acuto, va-  
ria ingestorum mutatione, & a motu peristaltico  
imminuto: qui tamen quamdiu libere expelli pos-  
sunt, haud multum incommodi afferunt, dum au-  
tem per spasmum uno in loco coercentur, istum  
ob vim dilatabilem distendunt, vasaque tam istius  
loci quam vicinarum partium comprimunt, san-  
guinis transitum impediunt, & anxietates, dolores  
intolerabiles, mox ad emissos ructus vel flatus re-  
mittentes, aut cessantes, excitant.

### §. XXVII.

A cibis autem ob causas §. XXI. allatas indi-  
gestis, & in materiam mucidam ac acrem mutatis,  
dum vellicatur tunica nervea ventriculi, & intesti-  
norum, oritur levis spasmus, & inde nausea, quæ est  
fastidium ingestorum una cum vomendi conatu,  
tremore labii inferioris, & effluxu humoris ex ore.

### §. XXVIII.

Verum enim vero huncce spasmum, & nau-  
seam auctam sequitur vomitus, qui est expulsio vi-  
olenta primo eorum quæ in ventriculo continen-  
tur; dein eorum quoque, quæ in intestino Duode-  
no sunt, & tandem quæ in visceribus eo se evacu-



antibus separantur , quemadmodum in mortali-  
bus per mare vehentibus observari potest. Hi e-  
nim antequam navem descendunt , optima gau-  
dent sanitatem , suumque ventriculum cibo ac potu  
replent , propter agitationem & inde perturbatio-  
nem motuum incident in nauseam ac porro in vo-  
mitum : sub quo primo rejiciuntur in ventricu-  
lum ingesta , dein lympha , postea bilis flava , ama-  
ra , & tandem viridis.

### §. XXIX.

Fit autem , uti accuratissimus observator Wepferus observavit , sequenti modo : si acre ali-  
quod applicetur ventriculo , illico musculi hujus  
convelluntur , momento post trahitur diaphragma  
deorsum & musculi abdominales pariter sese con-  
trahunt , unde ventriculus intra prælum quasi pres-  
sus ob clausum pylorum per orificium sinistrum  
apertum contenta excernit . Propter hunc itaque  
violentum & saepe repetitum actum fibræ muscula-  
res ventriculi non solum debilitantur , (uti videre est  
in chorda , quæ dum mox huc mox illuc flestitur  
suam elasticitatem amittit;) liquidissima digestioni &  
nutritioni inservientia ejiciuntur , plicæ tunicæ ru-  
gosæ abolentur , tonus stomachi debilitatur , alimen-  
torum appetitus & concoctio depravatur . Vid.  
Willisius de morbis convulsivis p. 116 : sed & ab-  
dominis cavitas valde arctatur , visceraque in eo  
contenta comprimuntur , ac sanguis ex vasis ma-  
joribus in minora premitur , hinc excretiones , eæ-  
que interdum tam vehementes , ut haud raro sub  
illis

illis vasa rumpantur, diraque symptomata excitan-  
tur: vid. atrocis nec prius descripti morbi historia  
a Boerhauio conscripta.

### §. XXX.

Et cum propter arteriam Aortam, sub ven-  
triculo positam compressam, sanguis violenter per  
arterias carotides & cervicales versus superiora pro-  
pulsus, haud infreque[n]ter hæmoptoen, apoplexiā,  
surditatem, tinnitus aurium, oculorum caliginem  
excitare soleat; hinc ratio patet, quare venæ se[t]io  
in plethoricis debeat præmitti, & mulieres post fre-  
quentes & enormes vomitus in tales incident mor-  
bos, qui difficilem aliquando admittunt medelam.

### §. XXXI.

Quoniam autem mulieres dantur, quæ pri-  
mis diebus post conceptum vomitu & nausea  
cruciantur, quæ tamen a causis modo recensitis  
nondum originem trahere queunt, sequitur adhuc  
alias restare debere; quæ a Practicis recensentur &  
in maximam partem irritationi, aut consensui nervo-  
rum, adscribuntur. Id quod inde probant, atque  
demonstrant, quia uterus instructus est multis nervis  
qui, cum nervis orificio ventriculi insertis, per mu-  
tuam inter par vagum & intercostale connexionem,  
communicationem habent, hinc, dum uterus exten-  
ditur, nervi ejus pariter extenduntur: hi vero exten-  
si, trahunt in consensum nervos ventriculi, quo do-  
lor uteri ventriculo communicatur & vomitus cie-  
tur.

### §. XXXII.

Sicuti autem ingestorum digestio ob cau-

fas §. XXI. allatas, ita fæcum alvinarum excretio impeditur. Hacce vero impedita oriuntur non solum a fæcibus valde induratis, dolores colici, flatus, inflationes tympaniticæ, anxietates præcordiorum, sed ob liquidi (quod magna in copia in fæcibus est contentum, juxta experimentum Cl. Hombergii) ad sanguinem migrationem, humorum impuritates rheumatismi, vigiliæ, insomnia, febres, purpuræ, hebetudines sensuum, cephalagiæ: hinc patet ratio, qvam necessarium sit tam in morbis chronicis, quam acutis attendere ad alvum laxam, ingestisque respondentem.

### §. XXXIII.

Quando sanguis ob vasa nimis distenta eorumque contractilitatem minutam ex visceribus imi ventris, intestinis crassis, tenuibus, ventriculo, pancreate, mesenterio, omento, liene, per hepar circulare nequit, per quod difficilis est transitus, quia vasa sanguinem ad illud pellentia maximam partem sunt venosa, sufficiente pulsu & impulsu destituta, & respiratio in gravidis, præcipue plethoricis, utcunque est imminuta. Hinc viscera infarciuntur, horumque functiones læduntur & (præter multa mala hic sicco pede transeunda) hæmorrhoidum molimina excitantur, ut dolores, pressiones circa dorsum, os sacrum, spasmi, flatus, debilitas totius corporis, frigus extreborum, tumores ani vehementer dolentes, ardentes, tenesmum cientes, ut miseræ neque sedere, jacere, stare, neque ambulare queant. Qui autem tumores, si adeo incrementum capiant

plant, vasaque distendant, ut fibræ vasa constituentes a se invicem secedant, oritur fluxus hæmorrhoidalis facile in consuetudinem abiens, quem debita in copia fluentem sequitur remissio omnium malorum a stagnante & viscera infarciente sanguine. Sanguinis vero per hæc & alia loca excretio si impeditur, non solum inde mala augentur, sed & tumores, dum non resolvuntur, i. e. sanguis stagnans iterum in circulum redigitur, abeunt in abscessus, qui nisi in tempore aperiantur, pusque diu retinetur, ob calorem motumque intestinum, & forte ob sanguinem hic quam alibi acriorem, partes corroduntur & propter pinguedinis copiam intestini recti exteriorem partem ambientem, ac pressionem veherentem, dum fæces excernuntur, pus ad diversa loca pellitur & fistulæ anfractuosæ difficile sanabiles cidentur.

### §. XXXIV.

Eandem fere ob causam oritur abortus, qui est fœtus immaturi ante debitum gestationis tempus ex utero exclusio. Dum enim sanguis magna in copia ad uterum appellatur, nec a placenta recipitur, mutatur, & in alimentum fœtus vertitur, vasa copiosa, in se convoluta ubique & undique uterum ambientia, perreptantia, ob defectum musculorum, pinguedinis, valvularum, sanguini impulso minus resistentia, replentur, distenduntur, dilatantur, atque orifica eorum, quibus placentæ vasa conjunguntur, aperiuntur, separantur, unde dolores, pondus circa ventrem lumbos, pubem, os sacrum, hæmorrhagia uterina,



mammarum extenuatio, quæ sequitur secundinarum divulsio, & harum una cum embryone ob convulsivam uteri contractionem, imprimis musculi orbicularis in fundo uteri a Ruyschio detecti separatio & exclusio.


### §. XXXV.

Ex quibus intelligitur aphorismus trigesimus septimus Hippocratis: Si mulieri uterum ferenti mammæ subito extenuentur, abortus periculum est. Mammæ enim in loco libero sitæ pinguedine & cute facile dilatabili præditæ, tempore graviditatis, nec non mensibus instantibus, ob sanguinis commotionem & redundantiam à plethora turgent & dolent. Dum autem vasa uterina evanescunt, mammæ quoque ob distensionem minutam detumescunt, gracilescunt, & sic quatenus hac evacuatione fœtui nutrimentum auferunt, eatenus extenuatio mammarum abortum præfigit.

### §. XXXVI.

Sanguinis cœterorumque humorum copia nimia intra vasa aucta, tollitur æquilibrium inter cor sanguinem protrudens & arterias istum recipiens. Cor enim dum se contrahit sanguinemque expellit, arteriæ cedere, dilatari, illum recipere & ad omnes totius corporis partes vehere debent. Quando vero nimia humorum copia in arteriis contenta, sanguini ex corde propulso resistit, necessario major solita copia in thalamos cordis recidit, quo cor fortius ad sanguinem expellendum se contrahit, altius adscendit, iectu quodam in costas impingit & palpitationem excitat.

### §. XXXVII.



### §. XXXVII.

Sanguis autem tam in thalamis quam in vasis coronariis tanta in copia auctus, ut nervi comprimantur, cor quasi atonia temporaria afficitur ejusque motus supprimitur, hoc vero suppresso, & arteriarum ictus & sanguinis transitus per pulmones, deficiunt hinc animi deliquium.

### §. XXXVIII.

Vasis pulmonum atque muscularum respirationi inservientium ita repletis, ut vesiculæ aëreæ in spatium angustius redigantur, thoraxque (qui in fœminis angustior & anterius planior quam in viris ob sternum compressius & claviculas magis retas,) non satis dilatatur, tanta aëris copia, quanta in sanitate ad debitam sanguinis circulationem per pulmones requiritur, recipi & expelli nequit, unde difficilior respiratio, sensus anxietatis, polyposæ concretiones, spasmi, tussis sicca &c.

### §. XXXIX.

Nulla autem corporis humani pars est, quæ plethoram minus sustinere potest, quam caput, (1) quia singulo cordis ictu ingens sanguinis portio a Malpighio una tertia pars æstimata ad caput pellitur, (2) quia cerebrum est viscus omnium mollissimum singulari vasorum structura præditum & inde impetrui humorum minus resistens. Hinc duræ matris vasa ultra solitum replentur, latera horum ab invicem removentur, dilatantur & distenduntur, his vero plus distentis fibræ nervosæ & membranosæ Meningum etiam magis distenduntur, unde ob fibram

rum auctam tensionem & expansionem oritur dolor. Qui imprimis solet sentiri ad sinciput & occiput, ob suturas ibi existentes, ob duræ matris cum futuris firmam connexionem & ob vasa admodum turgentia inque solidum impingentia.

### §. XL.

Verum enim vero dum a canalibus tunicarum cerebrum proxime ambientium nimis distentis & inde stagnante sanguine cerebrum comprimitur, oriuntur pro diversitate cerebri compressi diversa symptomata, ut muscarum aliarumque rerum veluti oculis temere oberrantium imagines, vertigo, animi deliquium & apoplexia. Sicuti ex sequenti memorabili experimento patet, cuius mentio fit in Act. Paris. Acad. Reg. Ao. 1700. Edit. Paris. p. 45. Fuit nempe ibi fœmina quædam, cui postquam cranio inflictum vulnus esset, tanta fiebat caries ossis & corruptio integumentorum, ut os syncipitis & ossa parietalia fere tota fuerint separata, adeo ut dura mater conspiceretur nuda, cuius fœminæ post levem duræ matris compressionem oculis offerebantur scintillæ igneæ & quasi candelæ ardentes, accedebant vertigo, coma, & denique levis oboriebatur apoplexia, quæ omnia symptomata evanescebant, simulac pressio definebat.

### §. XLI.

Præter hæc diversæ imagines & vertigo originem trahunt ab arteriis distentis ad oculi fundum disseminatis & nervi optici expansioni contiguis, quo filamenta retinæ vel loco suo dimoventur, vel com- pri-


primuntur, & radii ab objectis emissi in retinæ superficiem incidere, & objecti sensus ciere, impediuntur: vid. Bellinus & Pitcarnius.

### §. XLII.

Reliqui morbi, ut dolores dentium, torpor, gravitas corporis etc. ex dictis, appetitu depravato excepto, facile intelliguntur.

### §. XLIII.

Appetitus depravatus dicitur ille, ubi gravidæ non solum cibos a natura alienos, sed & alios consuetas tam avide appetunt, ut nisi eos nanciscantur, cum fœtu periclitentur: scribit enim Langius in Libr. 2. Epistol. 12. Mulierem quandam, uterum gerentem, desiderio humeri pistoris denudati irritatam, mœstam, omnem cibum, præter carnem de humero pistoris, fastidiisse, maritumque charæ misertum uxor, certam pecuniam pro singulis de pistoris humero morsibus cum eo pactum esse. Duos itaque insultus dentium mulieris pistorem sustinuisse, tertium vero doloris pertæsum ferre noluisse. Itaque accidisse, ut mulieri tergeminos ederet, duos vivos & tertium mortuum. Et Forestus Libr. XXVIII. observ, LXV. Mulierem gravidam duodecim haleces noviter salitos comedisse nec inde, quicquam malum sensisse. Causa autem hujus videtur esse acer humor prædominans vix nisi insueto assumto compescendus, circuitus croris mutatus & imaginatio depravata: vid. Sennert. Libr. III. Part. I. Sect. II. p. 3. Hoffmanni Fundam. Medic. p. 110. Boerhaavii instit, §. 803.



### §. XLIV.

Fœtus itaque, dum ab allato nutrimento partim per os partim per umbilicum una cum secundinis ob humores in his segregatos accrescit & augetur, uterus plus extenditur atque dilatatur, imprimis in parte posteriori, utpote liberrima, crassissima & ad extensionem aptissima, qua vero dilatatione partes vicinæ comprimuntur. Hinc vesicæ urinariæ super uterum positæ collum, dum comprimitur, urina supprimitur, tunicam vesicæ internæ vellicat, stranguoram, anxietates etc. producit.

### §. XLV.

Parte autem vesicæ posteriori sive fundo compresso, oritur malum priori contrarium scilicet urinæ incontinentia, quoniam urina in vesica nequit colligi, sed uti a renibus secernitur in pelvis, sic ex his per uretheres defertur in vesicam & ex hac excernitur. Verum urinæ secretio fit continuo, ergo & excretio, dum enim reddidimus lotium, post pauca momenta iterum pressione magna facta aliquid possumus dimittere.

### §. XLVI.

Intestinum rectum infra uterum positum, dum comprimitur, sanguinis refluxus per venas hæmorrhoidales impeditur, & cum arteriæ haud facile comprimi possint, sanguis continuo per eas affertur, nec per venas defertur, hinc in illis colligitur, eas distendit, dilatat, & hæmorrhoides, vel apertas vel cœcas, vel internas vel externas excitat.


### §. XLVII

§. XLVII.

Quemadmodum vero venæ hæmorrhoidales, sic venæ ad latera uteri positæ, iliacæ dictæ, quoque comprimuntur & sanguinis refluxus a partibus inferioribus in venam cavam intercipitur, unde hærum partium distensio, dolor, & ab impedito Lymphæ regressu, tumor. Quæ si diu distentæ maneat, propter humorum refluxum impeditum, & accumulationem, fibræ alias sat firmiter inter se connexæ membranas & canales constituentes a se invicem dimoventur & humores quos deberent continere, ob spatum intermedium factum dimittunt, unde perenne stillicidium & tumoris ab extravasatis humoribus incrementum. Humores autem extravasati non solum stagnatione, calore, quiete, rodentes ac acres fiunt, sed continua maceratione & colliquatione tenella solida destruunt, sinusque & aliquando ulcera difficile sanabilia excitant. Prout autem venarum per pedes excurrentium, valvulis (quæ sunt pelliculæ membranaceæ, in cavo venarum positæ, cavæ versus cor, convexæ versus extrema, quarum usus est, ne sanguis gravitate sua iterum descendat & alteri adscendenti sit impedimento) prædictarum, latera inæqualem tumorem attolli nequeunt, inde tumores geniculati, quos varices vocant, sæpius a fœmore ad calcem usque formantur.

§. XLVIII.

Eandem etiam ob causam labia quandoque pudendorum ita inflantur, ut miseræ pedem pedi admovere haud valeant.



## §. XLIX.

Uterus vero in nonnullis altius adscendens, ventrisque regionem occupans, ac ibi diversas partes comprimens, diversos iterum morbos creat. Intestinum colon dum comprimitur, fæcum excretio, & flatuum exclusio, impeditur, unde a gravidis saepissime querelæ de pondere & dolore vel in dextro vel in sinistro hypochondrio, (quæ a multis accurati hujus intestini situs ignaris pro signis lienis indurati habentur:) & de flatulentia anoterica, audiuntur,

## §. L.

Ventriculi extensio & diaphragmatis descensio, ob paulo altius adscendentem uterum dum impediuntur, nec cibi nec aër recipi & retineri possunt, unde vomitus & dispnœa.

## §. LI.

Quibus tandem accedit, quod gravidæ ultimis gestationis mensibus quam maxime ad lapsum proclives sint, cum tunc temporis centrum gravitatis absit & ob abdomen tum valde distensum præ se vide re nequeant.

## §. LII.

Curatio est corporis viventis, sed ægrotantis in sanitatem mutatio, quæ autem fieri nequit, nisi Medicus sciat, quid sit mutandum, per quæ, & qui effectus in ægro ab applicatis sequuntur. Id discit ex morbi & virium medicamentorum cognitione. Morbus autem cognoscitur ex functionibus læsis & causis notis ad partes læsas applicatis. Medica.

dicamentorum vero vires a posteriori explorantur, si seorsim nec aliis mixta in usum trahantur, & quidem per certum & longum tempus, eademque medicamenta simili in casu iisdem correspondentibus circumstantiis non semel, sed crebtius in usum ducantur. Licet non negandum sit, quod a priore medicamentorum vires saepius ex qualitatibus, sensibus manifestis, nimirum acido, sale volatili, & ex certa modificatione particularum deducantur.

### §. LIII.

Hæcce itaque ex dictis intelliguntur, ergo & mutatio in sanitatem, quæ hic fit, per plethoræ imminutionem sinceram absolvitur, non autem per purgantia, diuretica fortiora, sudorifera, menses carentia, obmetum abortus, ut contraindicans, adquod Medicus semper respicere debet, sed maxime & commodissime per venæ sectionem, loco, tempori, & copiæ convenientem. Locus aptus est brachium, quamvis absque periculo abortus, uti observationes testantur, pro diversitate circumstantiarum in pede fieri copia possit Tempus & ex quantitate menstruorum extra graviditatem per pessorum, ex vehementia morbi, symptomatum, & imprægnationis tempore signisque plethoræ determinatur.

### §. LIV.

Venæsectione, qua minor liquidorum in vasa pressio, minor vasorum distensio & inde morborum a plethora oriundorum ablatio producitur, instituta, primarum viarum cruditates ad exitum per digestiva dicta præparari, dein laxantibus sine com-

motione humorum & terminibus operantibus, subduci possunt ac debent.

### §. LV.

His vero subductis, fibræ motrices sunt corroborandæ & in tono suo servandæ, partim per cardiaca aromatica blandis acidis mixta: partim per vivum & motum convenientem, qui vero accurate & universaliter determinari nequeunt, sed a temperie, vitæ genere consueto, tempestate anni, climate regionis, & similibus, quæ in ægra vel circa ægram adsunt, peti debent.

### §. LVI.

Morbi a mole fœtus & secundinarum orti non curam fundamentalem, sed palliativam admittunt. Hinc quoties urina est suppressa, toties mulier abdomen suum ambabus manibus lente & caute elevet, aut in lecto supina Urinam emittat, quo uterus utcunque elevetur, & collum vesicæ ab uteri pressione liberetur. Hæc vero methodus, dum frustra esset, cannula quæ Catheter vocatur, prius oleo illita (abdomine elevato,) vesicæ est immittenda & sic urina elicienda.

### §. LVII.

Urinæ autem incontinentia, hæmorrhoides & labiorum pudendorum tumor, mitigantur, si gravida sæpe per diem dorso incumbat, per semihoram, vel diutius declinatis partibus superioribus & elevatis paululum inferioribus, supposita his culcitra, ut sictum uteri prementis pondus paululum cedat & vasa venosa sensim se exonerare & urina in vesica colligi queat.

### LVIII.

## § LVIII.

Ad pedes tumentes, & varices avertendos, pedes sunt fasciis omni mane mense quarto & reliquis gestationis mensibus leniter stringendi.

## §. LIX.

Alvus aperta servatur per diluentia simul leniter stimulantia, (ut salia neutra) & tandem per lubricantia, spasmos demulcentia, ut olea blanda, recentia, expressa. Decocta emollientia, atque ex his paratos Clysteres, Juscula pinguia, Pilulas balsamicas ex Gummatibus blandioribus, ad normam Stahlianarum, aut Becherianarum compositas.

## §. LX.

Vomitus & dispnœa præcaventur, si cibi & potus moderata quantitate pervices ingerantur: & tandem contra proclivitatem ad lapsum, svadetur cautus admodum incessus.

## §. LXI.

En omnia quæ mihi suppeditarunt partim Præceptores mei Clarissimi, Hermannus Bœrhaave, & Bernhardus Siegfried Albinus, Viri Celeberrimi & Professores Academiæ Lugduno Batavæ Meritissimi, quos docentes audivisse vehementer gaudeo, immortalique memoria semper retinebo; partim scripta Celeberrimorum virorum in dissertatione allegatorum. Sin autem hanc materiam pro dignitate non satis pertractatam, judicet Lector, cogitat iste, quæso, mihi per id temporis spatium, per quod studio Medico navavi operam, omnia evolvere & singula experiri non licuisse. Hæcce quoque a me non conscripta esse, ex ventosæ gloriæ cupiditate, sed necessitatis vinculo ad hanc spartam fuscipiendam. Deo autem T.O. Maximo sit Laus, Honos & Gloria, pro sua divina clementia, tam in studiis meis, quam Praxi hactenus exercitata, mihi largiter exhibita.

F I N I S.



## ANNEXA.

Lac in virginum mammis non semper est signum amissæ virginitatis.

Sanguis menstruus in sanis est æque tam purus ac ille, qui e vena secta fluit.

Medicis Junioribus nil magis nocet, quam specificorum jaestatio.

Iram multorum morborum causam & optimum remedium esse defendo.

Vomitorii exhibitio in vomitu potest esse summum remedium & pessimum venenum.

Aquaæ stagnantes gignunt multos morbos, imprimis autem febres intermittentes.

Muci pellucidi, albumini ovorum haud assimilis, cum tenesmo, excretio, indicat (cœteris paribus) hæmorrhoides instantes.



Modestie verbeut, daß ich viel Worte mache,  
Liebwerther Herr COUSIN, von seinem wahren Fleiß;

Doch hat die Praxis schon bewiesen diese Sache,  
Und nun ist auch hiervon der DOCTOR-Zut Beweß;  
GOTT seegne ferner Ihn in seinem neuen Stande,  
So kan Er nützlich seyn dem ganzen Vater-Lande.

Zu erlangeter Doctor-Würde gratuliret mit  
diesen wenigen Zeilen aus treuer  
amitié

J. E. FOCKE.

C. & C. Schol. Bernb.

